ARCHIBALDI PITCARNII, M.D.
Et Regii Collegii Medicorum
Edinburgenſium Socii

4624 D (1)

ORATIO,

Qua oſtenditur Medicinam ab omni Philoſophorum Secta eſſe liberam,

Habita LUGDUNI-BATAVORUM
Die 26. *Aprilis* cIↃ IↃ CXCII.

Cum ordinariam Facultatis Medicæ praxeoſque docendæ profeſſionem ſolenniter auſpicaretur.

Editio altera priore Caſtigatior.

Impreſſa Anno Dom. M. DC. XCV.

WELLCOME
HISTORICAL

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

Mirum quam ingentes, atque a se invicem toto, quod aiunt, cœlo discrepantes, sint circa Orationem hanc, ejusque Authorem, sententiarum concertationes, Lector Humanissime: *Cum vero ob exemplarium inopiam, Oratio hæc paucorum manibus teratur, non ibs re fore existimabam, si illam de novo prælo subjiciendam curarem; ut intelligant, quorum interest, quid rei sit, quod tanto partium studio utringue agitatur. Quidam enim eam, tanquam divino* Appollinis *afflatu inspiratam, atque ut ex* Tripode *prolatam, admirantur; illamque non humi reptilium more serpere, sed superbo elatam* Cothurno, *imo* Alitis Jovis *alis vectam, sublimi ferire sydera vertice, assidue clamitant. Neque id mirum, in Pictura enim & Poetica atque Orationibus publicis, præsertim Inauguralibus, nunquam laudanda imo semper vituperanda mediocritas.*

Neque asserere dubitant Authorem esse virum omni laude majorem, artis Archimedeæ *simul & Pæoniæ decus, patriæque ornamentum & gloriam, qui tanquam lux e tenebris emicuit*

quique excuſſo ſervitutis antiquæ jugo, nos præ judiciorum tyrannide emancipavit: Batavo inſuper tanquam de viliori luto fictos, &

Ranarum in patria craſſoque ſub aere natos

ſtupendæ ignaviæ inſimulant, quod donum hoc auro contrà carum, & quaſi cœlitus delapſum magno ſuo damno floccifecerint.

Alii vero è contra, orationem hanc tanquam meram ineptiarum congeriem, nugarumque futilium ac tricarum compendium abſolutiſſimum rudem & indigeſtam molem, veram antiquæ Chaos effigiem, atque exemplar ad vivum expreſſum, damnant: Et (horreo referens) diris devovent; In qua, ſciz. nullam ſalis micam, nihilque quod ſolidam doctrinam ſapiat, ſed tantum turgentes ampullas & plus quam ſeſquipedalia verba, ſententiaſque faſtidioſa loquacitate ornatas---Quibus nec pes nec caput unus reperire licet: Adeo ut inter legendum ſæpe exclament lectores,

O Corydon Corydon quæ te dementia cæpit:
O tribus Anticyris caput inſanabile!---

Authorem vero eſſe hominem prorſus Analphabetum, ſaltem quod ad medicinam attinet, cujus ipſa elementa ignorat; dum artem hanc me-

methodo Aſtronomicæ poſſe morem gerere, vigilans ſomniat: Tantumque abeſſe ut ſit patriæ decus & ornamentum, ut ipſi potius ſit dedecori & probro, atque civis non ſolum inutilis ſed inglorius quoque cenſendus: Utpote qui tanquam ſceleris alicujus reus, vel ſuipſius ineptitudinis conſcius, furtim ſe ſubduxit; officioque non ſolum ſine Academiæ *de eruditione & moribus teſtimonio, ſed indicta cauſa, imo non dicto Vale turpiter abdicavit; Hac nimirum ſola relicta via, qua exauctorationem ignominioſam evitando, mature honori ſuo conſulere liceret.*

Neque id ſolum (iræ enim modus nullus) ſed in ſententiæ contrariæ fautores acerrime invehunt, & Furiarum more debacchantur, dum quibus potiſſimum artibus, quorumve demum ope ac conſilio, effectum ſit ſtupentes mirantur, ut in celeberrima totius Europæ Academia *profeſſoris cathedra potiretur.*

Quam ſi non tenuit magnis tamen excidit auſis.

Neque aſſirmare erubeſcunt Batavos *doctrina & acumine illuſtres, non injuria queri, ſe eruditionis ſpectro deluſos, nubemque pro* Junone *oblatam fuiſſe.*

En habes, Candide Lector, *ſententiarum concertationes, quæ a ſe invicem non minus diſtant quam ab Occidente Oriens.*

Hos motus animorum atq; hæc certamina tanta
Quis Deus aut melior faciet natura quietos.

Sed ut (quantum per ingenii humani imbecillitatem fieri licet) hæc lis determinetur, operæ pretium eſſe videtur, ut omnes acumine præditi ſerio hanc orationem, perpendant: inde enim utra ſententiarum ad veritatem proxime accedat, facile dignoſcet quilibet æquus rerum arbiter. Atq; eadem opera ab erroribus & præjudiciis momenti haud minimi gens noſtra forſan liberabitur.

O quantum eſt in rebus inane!

Sed ſi Mundus vult decipi decipiatur.

VALE.

BLATERO-MASTIX.

NEminem exiſtimo ægre laturum ſi ego ad Medicinam docendam ab Illuſtriſſimis hujus Academiæ Curatoribus evocatus poſthabita omni gratia & odio Auditores meos libere monuerim quibus potiſſimum artibus effectum ſit ut Medicina tot eruditorum conatus & ſtudia tamdiu eluſerit, quibuſque viribus eniti oporteat ut Illa in optatum faſtigium educi, vitaque mortalium, qua quidem hominibus & per homines licet, in tuto poſſit collocari.

2. Hanc enim libertatem officii mei ratio poſtulat, conſuetudo mea mihi gratiſſimam & fere neceſſariam reddit, & inclyta hæc libertatiſque Servantiſſima Reſpublica periculo vacuam eſſe jubet.

3. Ut itaque libere eloquar quæ ſentio, videtur mihi medendi peritia ſtudio philoſophico eſſe haud paullo antiquior: quippe cum homines pro ſe quiſque corporis aut animi gratia & mederi & philoſophari cæperint, medendi tamen perpetuæ, philoſophandi tantum fortuitæ fuere cauſſæ. Nam frugibus primo, dein pecore priſca gens mortalium

lium vitam in agris inopem cœlique injuriis opportunam tolerabant, æſtuſque & frigoris incommoda ſenſerant, hoc eſt ægrotaverant, priuſquam de veſtimentis & domiciliis ſibi proſpexiſſent. Illa primordia morborum, hæc prima fuere remedia. Sed & pecora brevis ævi, morbiſq; non olim minus quam nunc obnoxia medendi neceſſitatem adferebant, quique iis ſublevandis operam dabant hominibus opem ferre dicebantur; Civem enim ſervaſſe videtur qui vel fame pereundi neceſſitatem depulit.

4. Verum ad philoſophandum tum demum homines acceſſere cum vires remediorum experti, poſſent jam Securi & per otium facultates rerum expendere, cæteriſq; mortalibus animi virtute ſe præſtare.

5. At quoniam ab antiquiſſimis Medicis morbos ad iram Deorum referri ſolitos, & a vetuſtiſſimis philoſophis aſtrorum ſcientiam omnium primam fuiſſe excultam accepimus, iiſdemque temporibus Deorum appellationes Aſtris delatas, veriſimile eſt Priſcos illos Medicos de morbis, tempeſtatum mutationes plerumque comitantibus, initio diſſeruiſſe. Unde ſequitur antiquiſſimorum

ſimorum & medicorum & philoſophorum judicio ratiocinationes Medicas inniti debere iis principiis quæ Aſtronomicis inſerviunt: cumque illis temporibus philoſophi omnes unius Sectæ fuerint, & Medicina ante omnem philoſophiam nata, fuiſſe naſcentem Medicinam nulli Philoſophorum Sectæ illigatam. Sed lubet rem iſtam paulo diligentius explicare.

6. In Medicina facienda vel docenda non decet pro vero adfirmare de quo uſque adeo ſumus incerti, ut Nemo de bonis ſuis tam incertus eſſe velit: non enim vitæ minor quam pecuniæ habendæ debet eſſe cura. Hinc ſequitur non licere id in Medicina tradenda vel facienda pro principio adhibere de quo diſputant viri & mathematice docti & minimis præjudiciis irretiti: nemo quippe lubens res ſuas in eam ſortem deduci patitur ut ad eas redimendas ancipiti diſputatione opus ſit, rerum autem noſtrarum vita eſt cariſſimum.

7. Ex hiſce deduco cauſſarum phyſicarum inveſtigationem qualem inſtituere ſolent Philoſophi Medicis neque utilem eſſe neque neceſſariam: hæ enim ſunt de qui-

bus ſectarum patroni fere ab orbe condito in hæc uſque tempora nequicquam litigarunt.

8. Neq; hoc mirum videri debet; cum enim ſectarum patroni rerum naturas abſolutas cauſſaſq; intimas ſtatim a principio, neglecta proprietatum inveſtigatione, fuerint aggreſſi, adeoq; poſtulatis multis & datis paucis uterentur, fieri non potuit ut non in diverſas ſententias diſcederent. Cuivis profecto in Mathematicis verſato, vel in Medicina facienda paullo magis occupato, manifeſtum eſt nos nihil aliud in rebus cognoſcere quam earum ad alias relationem legeſq; & proprietates virium quibus eas mutare vel ab iis mutari ſolent. Loquor de rebus corporeis. Vires autem illæ viriumq; leges actionibus mutuis & utrinq; redditis deteguntur. Nam actiones & earum eventa ſunt data illa quorum ope leges virium invenimus; cauſſa vero phyſica, & tantopere a Philoſophis quæſita rerum natura eſt illud in rebus ignotum a quo vires emanare volunt. Illud autem cum ſciri non poſſit niſi prius agnitis viribus harumq; legibus inventis, neq; quidquam præſtet niſi per vires,

vires, ſequitur viribus ignotis notitiam illius eſſe nullam, notis vero eſſe inutilem, adeoq; Medicis incumbit ſolum ut vires medicamentorum & morborum quæ per operationes poſſunt inveniri expendat & ad leges revocet, non autem aut cauſſis phyſicis eruendis inſudet, quæ non niſi ex prius inventis virium legibus poſſunt deduci, iiſq; inventis Medico non ſunt profuturæ.

9. Nihil itaq; majoribus noſtris profuit Medicos ſectæ ſeſe adjunxiſſe, artemq; ſuo ingenio a vulgi ſtudiis abhorrentem incertis & ſæpe falſis opinionibus imbuiſſe. Eo errore factum eſt ut Ars Medica perfectionis optatæ culmen haud attigerit, ſed jamdudum conjecturis fœta illis viſa fuerit qui non meminerant errores non artis eſſe ſed artificum. Nam cum pertæſi forent multi diſputationum quæ vulgarem philoſophiam poſt tanta temporum ſpatia etiam nunc exagitant, neq; tamen illi rei ullum adferri remedium, exitum ullum conſpicerent, ſed latius gliſcere malum, Medicoſq; cum vulgo facere & ad ſectam tranſiiſſe, facile crediderunt non eſſe magnopere iis fidendum quæ tam repugnantibus incertiſq; ſenten-

tiis innitantur. Hoc illud eſt quod artem Medicam per tot ſæcula reddidit incultam, quodq; nobis eſt averruncandum ſi Medici eſſe volumus & liberi, neq; aut Romæ aliquando ſerviſſe, aut nunc olimve ſervire mereri.

10. Equidem non opportet artem illam quæ mortalibus una ſanitatem promittit diſputantium conjecturis & ſomniis involvi; non enim prudentis eſt illi vitam credere cujus rationes pleriſq; falſæ, pauciſſimis probabiles videntur: Sed Medicos oportet Aſtronomorum inſtitutum ſibi imitandum proponere. Hi non vulgo gratas aut ab oratoribus acceptas opiniones in artem ſuam adſciſcere, neq; motibus ſyderum expediendis advocare quantumvis populo placituram de mundo fabulam, ſed obſervationes longa temporum locorumq; intercapedine diſſidentes, motuumq; cœleſtium phænomena methodo ſibi familiari & omnibus utili conferendo, Vires illas definire quibus corpora mota ad alia ſive mota ſive immota contendunt. Hoc eorum ſaluberrimum conſilium amplectamur ſi de civitate Medica, hoc eſt, de genere humano bene me-

nereri ſit animus. Obſervationes quæ inſtitutæ ſunt & ubiq; inſtituuntur circa morbos morborumq; auxilia conferre, & nulla habita ratione opinionum quæ ſenſu perceptis certitudine cedunt, ex eo quod fieri ſolet, quid futurum ac faciendum colligere oportet.

11. Nemo nunc, ut opinor, in Aſtronomicis verſatus quidquam præſidii in iis eſſe ſentit, quæ hodie quoq; inani diſceptatione vexantur, neq; in demonſtrandis motuum cœleſtium affectionibus & ſymptomatis ullum a formis ſubſtantialibus, materia ſubtili aut fortuito atomorum congreſſu emolumentum elicit: Sed Aſtronomi paucis contenti poſtulatis facile oſtendunt nihil ſibi officere Sectarum opiniones, neq; demonſtrationes ſuas turbari ſive exſtent formæ ſubſtantiales ſive non exſtent, et ſive exſtet materia ſubtilis ſive non exſtet. Et nos adhuc dubitamus iiſdem artibus Medicinam extendere? neq; fas ſit exiſtimare corpora minora quæ Medici contemplantur iis legibus eſſe ſubjecta quas Aſtronomi in majoribus illis deprehendunt? Eſt profecto corporum omnium ſimilis natura, poteſtq;

cor-

NOTE

This volum
tight binding a
effort has beer
duce the centre
result in

acad
microform

ne has a very
and while every
n made to repro-
es, force would
in damage

demic
rms

tiis innitantur. Hoc illud eſt quod artem Medicam per tot ſæcula reddidit incultam, quodq; nobis eſt averruncandum ſi Medici eſſe volumus & liberi, neq; aut Romæ aliquando ſerviſſe, aut nunc olimve ſervire mereri.

10. Equidem non opportet artem illam quæ mortalibus una ſanitatem promittit diſputantium conjecturis & ſomniis involvi; non enim prudentis eſt illi vitam credere cujus rationes pleriſq; falſæ, pauciſſimis probabiles videntur: Sed Medicos oportet Aſtronomorum inſtitutum ſibi imitandum proponere. Hi non vulgo gratas aut ab oratoribus acceptas opiniones in artem ſuam adſciſcere, neq; motibus ſyderum expediendis advocare quantumvis populo placituram de mundo fabulam, ſed obſervationes longa temporum locorumq; intercapedine diſſidentes, motuumq; cœleſtium phænomena methodo ſibi familiari & omnibus utili conferendo, Vires illas definire quibus corpora mota ad alia ſive mota ſive immota contendunt. Hoc eorum ſaluberrimum conſilium amplectamur ſi de civitate Medica, hoc eſt, de genere humano bene me-

nereri ſit animus. Obſervationes quæ in-
ſtitutæ ſunt & ubiq; inſtituuntur circa mor-
bos morborumq; auxilia conferre, & nulla
habita ratione opinionum quæ ſenſu per-
ceptis certitudine cedunt, ex eo quod fieri
ſolet, quid futurum ac faciendum colligere
oportet.

11. Nemo nunc, ut opinor, in Aſtrono-
micis verſatus quidquam præſidii in iis eſſe
ſentit, quæ hodie quoq; inani diſceptatione
vexantur, neq; in demonſtrandis motuum
cœleſtium affectionibus & ſymptomatis ul-
lum a formis ſubſtantialibus, materia ſub-
tili aut fortuito atomorum congreſſu emo-
lumentum elicit: Sed Aſtronomi paucis
contenti poſtulatis facile oſtendunt nihil ſi-
bi officere Sectarum opiniones, neq; demon-
ſtrationes ſuas turbari ſive exſtent formæ
ſubſtantiales ſive non exſtent, et ſive exſtet
materia ſubtilis ſive non exſtet. Et nos
adhuc dubitamus iiſdem artibus Medici-
nam extendere? neq; fas ſit exiſtimare cor-
pora minora quæ Medici contemplantur iis
legibus eſſe ſubjecta quas Aſtronomi in ma-
joribus illis deprehendunt? Eſt profecto
corporum omnium ſimilis natura, poteſtq;

cor-

corpus omne in alterius cujuſcunq; generis corpus tranſmutari, adeoq; communibus motuum ſeu mutationum eventis omnia corpora cujuſcunq; molis aut moleculæ ſunt obnoxia. Unde ſequitur definiri quoq; poſſe fluidorum & canalium corporis humani leges & affectiones, poſtquam aut plures obſervationes inſtituerimus, aut rite contulerimus inſtitutas. Qui hactenus dicta æquo animo accipiet is non diffitebitur in Medicina tradenda nihil eſſe adhibendum pro principio, quod non tam certum ſit ac ea quæ in ſenſus incurrunt: Æquum enim non eſt ut vitæ humanæ quam curioſitati minus conſulatur. Idcirco nos eorum quædam paucis perſtringemus quæ majoris noſtri nimio ſectæ ſtudio abrepti ſenſus teſtimonio deſtituta temere admiſerunt, ut alii ea poſſint evitare peccata quæ tantos Viros tranſverſos egrerunt; quæq; ad hoc unicum fere omnia reduci poſſunt, nempe, ea pro certis adſumpſiſſe de quibus inter viros doctos minimiſq; præjudiciis immerſos diſputatur, ſive quæ ſenſu perceptis certitudine ſe non exæquant.

12. Ma-

12. Majores noſtri metum vacui, qualitates occultas, & vim trahendi nullis legibus caſtigatam a Secta mutuati, in artem Medicam tranſtulere, operamq; dedere ut ſe alioſq; hoc deciperent effato, Ibi incipere Medicum ubi deſierit phyſicus, quod a patrono ſectæ prolatum ſemper eſt falſum. Miſerabilis videri poſſit illis temporibus Reipublicæ noſtræ facies quæ vocum ſimul & rerum ſentibus horreret. Cogebantur viri ingenui animo hoc eſt domi ſervitutem ſuperbiſſimam pati, partamq; ingentibus ſtudiis humanarum rerum peritiam per nugas corrumpendam ducibus ſectarum dedere: iiq; heroes nomen ſuum cum Sophiſtis delendum tradere, qui ob cives Servatos in æternum gloria vivere debuiſſent.

13. Sed quantumlibet miſerabilis iis temporibus viſa ſit medentium ſors, non eſt tamen ea ſæculi noſtri felicitas, qua ſupra ſuos majores ſupraq; modum efferre ſe debeant medici. Poſt tantam Botanicis & Anatomicis illatam lucem, novamq; tot artibus inductam faciem, veterem tamen ubiq; agnoſcimus Medicinam. Noſtris ma-

io-

Joribus vitio dabatur introducta in arten
rerum ſenſibus ignotarum ſolaq; conjectu
ra conſtantium farrago, &,ut verbo dicam
nimius Sectæ amor: Nos,qui tam graven
veternum videbamur excuſſiſſe, an in Art
exornanda multo fuimus fœliciores: Haud
quaquam. Sed poſtquam incredibili felicit
te profligata foret peſtis illa quam ad litte
ras perdendas advexerant Barbari,reſq;Me
dicæ excellenti quorundam hominum vir
tute in melius relatæ, & nihil non a de
tecto ſanguinis circuitu ſperaretur, prohi
buit nihilominus amor Sectæ ne debitu
illi invento felicitate potiremur, lætitiam
que poſt homines natos ſummæ proximam
noſtræ invidit ætati.

14. Non ſemel ſum miratus potuiſſe
viros tot eruditos & ſollertes delicta majo
rum aliis vitanda monſtrare, monſtrat
vitare non potuiſſe: proſcripſerint ſane ex
pelerintq; qualitates occultas,pedibus ſub
jecerint inanes vacui metus, formarumq
ſubſtantialium ſtrepitus; at occulta fer
menta poroſq; dicto audientes intulerunt
artemq; optando potius quam ſtudiis ho
neſtis excolendo, jamdudum effecerunt u
Me

Medicinam in ipſa Medicina quæramus. Quo enim quæſo diſcrimine figuras ignotas & occultas qualitates habebimus? Materiæ ſubtili quid diſtat aſtrorum influxus? Utrum inhoneſtius, vaſis liquores quoſdam attrahendi vim concedere, an nobis ipſis poteſtatem facere fluida vaſorum orificiis apta, cum negotium alirer expediri nequit, cœlitus in ſcenam protrahendi? Cujus demum Sectæ hominibus vacui metum *plus* faceſcere negotii exiſtimabimus, ejuſne quæ cuivis corpori ne locus fiat vacuus accurrendi licentiam tribuit, an illius quæ orbem corpore ſubtili replevit, cui uni ea Provincia eſt data, quodq; mole alia omnia longiſſime ſuperat? Quis Antipathia & Sympathia veterum rejectis homines de pugna & amicitiæ duplicis ætheris intra canales corporum occurrentis diſſerere paratos ferat? Quis calido innato & adventitio ætherem conſuetum & peregrinum paria facere, mutatiſq; ſolum verbis eandem narrari fabulam non animadvertat? Sed piget de re tam manifeſta tamdiu verba feciſſe. Hoc ſolum addere non pigebit, Oſtendere me poſſe* nullum in glandulis humani corporis

* *Ad Græcas ſeiz. Calendas.*

joribus vitio dabatur introducta in artem rerum sensibus ignotarum solaq; conjectura constantium farrago, &, ut verbo dicam, nimius Sectæ amor: Nos, qui tam graven veternum videbamur excussisse, an in Art exornanda multo fuimus feliciores? Haud quaquam. Sed postquam incredibili felicitate profligata foret pestis illa quam ad litteras perdendas advexerant Barbari, resq; Medicæ excellenti quorundam hominum virtute in melius relatæ, & nihil non a directo sanguinis circuitu spectaretur, prohibuit nihilominus amor Sectæ no debitu illi invento felicitate potiremur, lætitiamque post homines natos summæ proximam nostræ invidit ætati.

14. Non semel sum miratus potuisse viros tot eruditos & sollertes delicta majorum aliis vitanda monstrare, monstrat vitare non potuisse: proscripserint sane expelerintq; qualitates occultas, pedibus subjecerint inanes vacui metus, formarumque substantialium strepitus: at occulta fermenta porosq; dicto audientes intulerunt artemq; optando potius quam studiis honestis excolendo, jamdudum effecerunt

Me

Medicinam in ipſa Medicina quæramus. Quo enim quæſo diſcrimine figuras ignotas & occultas qualitates habebimus? Materiæ ſubtili quid diſtat aſtrorum influxus? Utrum inhoneſtius, vaſis liquores quoſdam attrahendi vim concedere, an nobis ipſis poteſtatem facere fluida vaſorum orificiis apta, cum negotium alirer expediri nequit, cœlitus in ſcenam protrahendi? Cujus demum Sectæ hominibus vacui metum *plus* faceſcere negotii exiſtimabimus, ejuſne quæ cuivis corpori ne locus fiat vacuus accurrendi licentiam tribuit, an illius quæ orbem corpore ſubtili replevit, cui uni ea Provincia eſt data, quodq; mole alia omnia longiſſime ſuperat? Quis Antipathia & Sympathia veterum rejectis homines de pugna & amicitiæ duplicis ætheris intra canales corporum occurrentis diſſerere paratos ferat? Quis calido innato & adventitio ætherem conſuetum & peregrinum paria facere, mutatiſq; ſolum verbis eandem narrari fabulam non animadvertat? Sed piget de re tam manifeſta tamdiu verba feciſſe. Hoc ſolum addere non pigebit, Oſtendere me poſſe* nullum in glandulis humani corporis

* *Ad Græcas ſciz. Calendas.*

ineſſe fermentum, omneſq; poros & orificia omnia vaſorum ſimiles ſortiri figuras adeoq; diverſitatem figurarum fermentorumq; a Medicis ſectæ ſervientibus invectam nullam in Medicina facienda aut docenda adferre utilitatem.

15. Supereſt ergo ut Medicinam colamus non hiſce figmentis impoſitam, ſed uſu probatam; neq; nos incauto ſectæ ſtudio tantillum dimoveri a veritate, Medicamve dignitatem vulgi arbitrio ſubjici patiamur: Verum noſmet in libertatem tandem vendicemus, notamq; incertitudinis ex amore ſectæ nimio manantem ab arte noſtra amoliamur.

16. Sed quia cauſſarum phyſicarum inveſtigationem Medicis non eſſe neceſſariam dixi, idq; Philoſophis dictu durius & inſolentius videri poteſt, juvat exemplo extra diſceptationis aleam poſito rem omnem confirmatam dare & illuſtratam.

17. Qui ante nos ſcripſere Medici de iis oculorum morbis in quibus ſimulacra viſum turbantia obverſantur, non dubitarunt aſſerere ejus rei cauſſam phyſicam ſuppeditare corpuſcula aqueo humori innatantia, quæ

quæ dum in omnes partes incerta divagantur muſcarum aliarumq; rerum veluti oculis temere oberrantium imagines retinæ inferunt. Verum dum ab ultima origine cauſſas mechanicas repoſtaſq: harum affectionum naturas repetunt, neq; cauſſas quæſitas reperere neq; ſua cuiq; morbo tribuere ſymptomata.

18. Ut hoc manifeſtum fiat, affirmo nulla aqueo humori innatantia aut intra oculum concluſa corpuſcula ſui in retina imaginem effingere poſſe: quod ex iis quæ apud opticos ſcriptores demonſtrata proſtant elicitur. Nam qui ſedulo reputaverit quantulæ debeant aſſumi ccularium humorum diametri, quæq; refractionum leges, ille prompte comperiet imagines rerum in oculo ante retinam ſitarum prorſus extra oculum projici, nunquamq; in retina depingi, ideoq; nullatenus viſum movere.

19. Verum ut ſpectra hæc prorſus abigamus, pateatq; corpuſcula aqueo permiſta aut vitreo, ſive quovis intra oculum loco ante retinam poſita partes rerum objectarum occultando, radioſq; ab iis emiſſos intercipiendo ſpecies haſce nunquam pro-

ducere, memores ſimus effati optici nempe.

20. *Nullum eſſe viſibilis objecti punctum a quo radii lucis ad omnia corneæ puncta non pertingant, adeoq; licet admodum multæ corneæ partes obvelentur, omnes tamen objecti partes oculo obſervatum iri.*

21. Verum ſi iſtud retinæ punctum in quo concurrere debuerant emiſſi a viſibili quopiam puncto radii quavis ratione ita contegatur comprimaturq; ut imagini depingendæ non ſubjiciatur tum nullus objecti ſenſus excitabitur. Et ſi idem aliquam multis retinæ punctis evenerit, eadem omnia contingent quæ Medicis tamdiu in aqueo humore tranſigi videbantur. Quo autem modo, quia fingi poteſt non unus, iſta ſemper eveniant, paucis expediam.

22. Nulli ignotum eſt retinam dici reti quoddam ex plurimis optici nervi filamentis contextum, qnæ vaſis ſanguiferis ſtipata oculi fundum pereptant, eamq; maximi hujus partem, quæ circa optici ingreſſum conſiſtit, iſtis vaſis eſſe oneratam. Idcirco ſi oculus eo fuerit ſitu ut neceſſe ſit radios in eam retinæ partem impingere, deficien

ob

objecti illius imago, imaginiſve ſenſus. Hujus quoq; rei veritatem experimur ſi duo quævis corpora videnda exponantur in eadem linea horizonti parallela, planoq; per oculos tranſeunte paullo altiore, quæq; à ſe mutuo ſeſquipedali intervallo ſecernantur: Et oculo, puta, ſiniſtro occluſo, dextroq; in objectum ad ſiniſtras poſitum converſo nos ad expoſita lento gradu vel accedamus vel ab iiſdem recedamus prout oculorum poſtulat natura. Principio quidem advertemus nos utrumq; objectum diſtincte conſpicere, tandem tamen in eum deveniſſe locum in quo, viſum effugiente objecto ad partes dextras ſito, res tamen circumfuſas clare intuemur. Hoc vero contingit, in illa ab objectis expoſitis diſtantia, eoq; oculi ſitu impingentibus radiis in iſtam fundi ocularis partem, quæ nervum opticum cum vaſis ſanguiferis accipiens adeo occulatur & opprimitur ut nullum imagini ſincerum locum concedat. Et alia quidem in morbis prædictis ſimili ratione eveniunt: Id ut affirmem audacter faciunt theoremata quædam explicando ſanguinis circuitui conducentia ex quibus ſequens ſelegi huic negotio aptum.

Si

22. *Si idem phænomenon poſſit oriri vel a liquoribus intra canales fluentibus vel extra eos effuſſis, ſemper debet adſcribi fluentibus, nunquam vero ſolis effuſis. Suppono autem vim externam abeſſe.*

24. Atq; ita exemplum adtuli morborum cauſſam phyſicam non agnoſcentium ut pateat Medicos & loci affecti conditionem & curandi rationem ignotis cauſſis iſtis aſſequi potuiſſe. Nos equidem eorum tantum proprietatem quandam phænomenis expediendis inſerviturum illuſtraſſe contenti cauſſam phyſicam ne quidem hariolamur ſatis gnari neminem ejus eſſe compotem: Mutationis enim quæ menti propria eſt dum objecta motum per nervos propagant excitandæ cauſſam phyſicam ſeu mechanicam originem nemo aggredietur.

25. At licet ego cauſſas harum affectionum phyſicas ultimaſq; naturas Medicorum diligentiam fefelliſſe neque neſciam neque mirer; non tamen exiſtimo me non explicaſſe cauſſas illarum ſeu mathematicas ſeu Medicas, nempe eas quarum cognitio Medicis eſt utiliſſima.

26. *Uti-*

26. *Utinam mihi liceat eadem facilitate & evidentia alias omnes noſtri corporis affectiones explicare, curandaſque tradere: Id ſi poſſim, non deſperem de gratia referenda Illuſtriſſimis & Eruditiſſimis Proceribus qui arti Medicæ docendæ in illa me Republica admoverunt quæ Servitutem omnium acerbiſſimam hoc eſt Sectæ dominationem civibus ſuis excuſſit.*

FINIS.

MOnendus eſt hic Clariſſimus Author, ſe famam ex peſſime abdicato munere jam vacillantem, optime redintegrare poſſe, ſi arduum hoc munus paragrapho 14 ſuſceptum perficere valeat: oſtendendo nempe *nullum in glandulis humani corporis inoſſe fermentum omneſq; poros & orificia vaſorum ſimiles ſortiri figuras*, &c. Sin minus *tranſeat etiam hoc cum cæteris erroribus.*

Au-

Authoris Carmen in Laudem *Batavorum.*

Tellurem fecere dii ſua littora Belgæ,
Immenſæq; fuit molis uterq; labos,
Dii vacuo ſparſas glomerarunt æthere terras,
Atq; horum cœptis nil quod obeſſet erat:
Belgarum cœpti pontus naturaq; rerum
Obſtitit, obſtantes hi domuere Deos.

Ejuſdem farinæ Carmen ab alio Authore i
Laudem Filii Doctoris *Black* Conſcriptum

Ecce Niger natum genuit, crepuitq; puellus,
Immenſæq; fuit molis uterq; labos,
Cum Niger in vacuo vibravit ſpicula campi
Cæpto flagranti nil quod obeſſet erat;
At puero clauſi paulatim muſculus ani,
Obſtitit obſtantem ſic domat ille patrem.

ERRATA.

Pag. 4. *lin.* 11. *leg.* antiqui. *pag.* 16. *lin.* 21
leg. expulerint.

Sold at *James Wardlaw*'s Shop near the Re
Lyon, oppoſite to the *Lucken Booths* i
Edinburgh. 1695. Price 4 Penc

The METHOD of CURING the
SMALL POX,

First written in the Year 1704, *for the Use of the Noble and Honourable Family of* MARCH.

By Dr. ARCH. PITCAIRN.

I. IF a Child, or any Per[son] grow ſick, feveriſh, or has Pain in the Back, or Slot of the Breaſt, [lo]ſs of Appetite, Drowſineſs, ſhort Cough, Sneezing, watery Eyes, or ſome of theſe; but always accompanied with ſome Heat, and frequent Puiſe, or Drought. In this Caſe Blood is to be taken at the Arm, or with Loch-leeches; and if the Fever ceaſes not, tho' the Pox appear, [ta]ke Blood a ſecond or third Time. Mean Time, give the Child a Spoonful of Syrup of white Poppies at Night, and in the Night-time, ay till Sleep or Eaſe comes.

II. After the Pox appears, and Fever is gone, then ſteep a Handful of Sheep's Purles in a large Mutchkin of Cardnus-water, or Hyſop-water, or Fountain-water, for five or ſix Hours; then pour it off without ſtraining, and ſweeten it with Syrup of red Poppies. Give of this a Spoonful or two, every fourth or fifth Hour, to make the Pox fill, and preſerve the Throat. Always at Night-time and in the Night, give a Spoonful or two of the Syrup of white Poppies for a Cordial, that keeps down the Fever, and keeps up the Pox.

III. If the Pox run together in the Face (which is the only Thing that brings Hazard) uſe the Infuſion of the Purles, and the Syrup of white Poppies oftner than in other Caſes; alſo about the eight Day from the appearing of the Pox, or a little before that, give the Child to drink of Barley-water, ſweetned with Syrup of white Poppies; this will make the Child ſpit, which ſaves the Child.

IV. The Child's Drink may be Milk and Water at other Times, or Emulſion, but uſe the firſt rather.

V. Apply nothing to the Face. Uſe no Wine, or winiſh Poſſets.

VI. If any Looſeneſs comes before the fourth Day of the Eruption, ſtop it with Syrup of Poppies, and five or ſeven Drops of Liquid Laudanum given now and then till it be ſtopt.

Let the Child's Diet be all along a thin Bread-berry in the Morning, a weak Broth, and ſoft Bread for Dinner, and Milk and Bread at Night, or Sugar-bisket and Milk, and about the fifth Day from the Eruption, give the Child Groat-broth ſometimes.

Nota, If at any Time, the ſmall Pox diſappear, with a Raving before the fifth, ſixth, or eighth Day from the Eruption, then let Blood again, and apply a large Bliſtering Plaiſter between the Shoulders, and give an Emulſion.

II. If the ſmall Pox fall down, without Raving, then apply a Bliſtering Plaiſter large between the Shoulders, and give an Emulſion, and boyl in a Gill of Water, and as much white or red Wine, half a Dram or a Dram of Zedoary-root ſliced, two Figs, and two Scruples of Theriac or Diaſcordium; ſweeten it with Syrup of Kermes and white Poppies, each half an Ounce.

III. In the End of the Diſeaſe, that is about the tenth, eleventh, fourteenth, &c. Day, after the Eruption, if the Child's Defluxion is groſs, either apply a new Veſicatory, or give often the Spirit of Hart-horn, in Syrup of Violets, or a Vomitor.

Laſtly, when the Pox is blackened ſufficiently, or about the fourteenth Day from the Eruption, let the Child drink Whey, eat Pottage, &c. Broth with Prunes, unleſs the Child's Belly is open enough of it ſelf.

But if the Child is ſo young and unlucky as not to cough heartily, and force up the Defluxions; or if the Froſt thickens it, apply to the Slot of his Breaſt a Pultis of Theriac, Diaſcordium, Alkermes, Oyl of Roſemary, and Cinnamon with warm Claret, in a double Linen Cloath often.

II. And to the Throat apply, in a double Linen Cloath, a Pulteſs of Cow's Dung boiled with Milk and ſoft white Bread: Put a little Brandy to as much as you apply at a Time.

III. For the Defluxion alſo give inwardly ſome of this, which has a Dram of Sperma Ceti, well mixt in a Glaſs-mortar (not a braſs one) with fine Sugar; to which add at Leiſure Syrup of Violets, or Balſamick, or Poppy Syrup, with ſome Spirit of Hart-horn.

If the Pox was confluent or run together on the Face, then, after the Perſon is recovered, give a Purgative, to bring away the Remainder of the Pox within the Guts.

EDINBURGH, Printed for the Benefit of *Charles Erskine*, late Servant to the ſaid Dr. *Archibald Pitcairn*, and ſold at his Houſe, in *Kennedy's Cloſs*, at the Back of the Trone, in the Year MDCCXXX.

Authoris Carmen in Laudem *Batavorum*.

Tellurem fecere dii sua littora Belgæ,
Immensæq; fuit molis uterq; labos,
Dii vacuo sparsas glomerarunt æthere terras,
Atq; horum cæptis nil quod obesset erat:
Belgarum cæptis pontus naturaq; rerum
Obstitit, obstantes hi domuere Deos.

Ejusdem farinæ Carmen ab alio Authore in Laudem Filii Doctoris *Black* Conscriptum

Ecce Niger natum genuit, crepuitq; puellus,
Immensæq; fuit molis uterq; labos,
Cum Niger in vacuo vibravit spicula campo,
Cæpto flagranti nil quod obesset erat;
At puero clausi jamdudum musculus ani,
Obstitit obstantem sic domat ille patrem.

ERRATA.

Pag. 4. *lin.* 11. *leg.* antiqui. *pag.* 16. *lin.* 21. *leg.* expulerint.

Sold at *James Wardlaw*'s Shop near the Red Lyon, opposite to the *Lucken Booths* in *Edinburgh*. 1695. Price 4 Pence